

CANTALICIO

BUCOLICA (1207 vers)

(Giambattista Valentino)

EGLOGA PRIMA

PHOSPHORUS

E_1 v.1 Quae te, Batte, refer, properantem cogit ab oris
 2 cedere causa tuis ? Quae te tam dira capellas
 3 tempestas agitare tuas huc jussit in Umbros ?
 4 Qui, rogo, Tyrrenas potuisti linqere valles,
 5 colliculos fontesque sacros silvasque virentes,
 6 nec non herbiferos, laetissima pascua, campos ?
 7 Namque ego te memini - nondum altera clauditur aestas -
 8 securum pavisse pecus, noctesque diesque
 9 pastorum Tuscis carmen resonare sub antris,
 10 quo satyros, quo Pana simul faunosque tenebas.
 11 Teque virum petiit quondam formosa Lycoris,
 12 ad tua quum faciles properantes carmina nymphae.
 13 Par tibi nullus erat pastorum, Batte, nec ulli
 14 quam tibi plus dederat pecoris fortuna, nec aurae.
 15 Mille boves memini stabulis te mane trahentem
 16 ad vicina tuis deducere pascua rivis.
 17 Hinc tibi balantum fuerat grex magnus, et haedos
 18 centum saepe simul, centum portabat in urbem
 19 crispula venales, quoties lux festa rediret,
 20 inde super tarda nummosa redibat asella.
 21 Sique domi ignavae pluviae ventique tenerent,
 22 vidimus egregio texentem vimina cantu
 23 praeteriisse dies inter te saepe Napaeas.
 24 Ipse equidem vereor quid te huc impellat anhelum.
 25 Heu qualem, qualem video te, Batte, repente !
 26 Unde haec anxietas ? Et quae tibi squalida pendet
 27 barba situ ! Pedibus nudis agis, ecce, capellas,
 28 nec tibi villosus pendet post terga cucullus,
 29 fistula non humeris, collo nec mantica, nec te
 30 ferre pedum video nodis de more politum.
 31 Batte, refer, quae causa tuos turbavit honores ?
 32 Quae tibi causa viae ? Pudeat non vera fateri :
 33 forte tibi miserum pectus maerore levabo.

BATTUS

34 O care ante alios semper mihi, Phosphore, cunctos !
 35 Fidere Fortunae quemquam dementia summa est :
 36 haec mutat turbatque vices, nec parcitur ulli,
 37 haec humiles tegetes in celsa palatia mutat,
 38 saepius haec Irum de Cosmo fecit egentem.
 39 An non dum nostri vestras penetravit ad oras

40 fama mali, quod nuper agros vexavit Etruscos ?
 41 Hei mihi, quam miserum est nostras memorare ruinas,
 42 Phosphore ! Magna tibi sunt otia, flatque capellis
 43 aura tuis nimium, nam quae sensere Sycambri
 44 et Parthi Maurique simul, quae novit Eous,
 45 ipse nec audisti. Miserum est quod scire requiris.

PHOSPHORUS

46 Nunc scio, Batte, Jovis modo quid sibi fulmina vellent,
 47 multa quibus nostris quercus jacet obruta silvis ;
 48 quaeque meae cecinit villae de culmine cornix
 49 ipse mala agricolis usquam ventura putabam.
 50 Sed quae perniciēs, quaenam pervasit Etruscos
 51 ira deum, quae vis hominum fuit ista furorque ?

BATTUS

52 Impius, heu, patrios miles populatur agellos
 53 praedaturque pecus nullo discrimine passim.
 54 Milia tot numquam classis Pelopeia muros
 55 duxerat ad Phrygios, nec Cadmi moenia tantus
 56 presserat armorum bello fervente tumultus,
 57 invasit quantus Tyrrhena per arva colonos.
 58 Pastorum pars magna plagas orientis adivit
 59 et trepida occiduas pars commigravit ad oras,
 60 magna per Illyrici fines pars maesta vagatur,
 61 pars Ligurum patriam germanaque regna petivit,
 62 pars pecore amisso vinclis captiva revincta est.
 63 En ego quas cernis vix inter tela capellas
 64 quattuor eripui, sed te quoque, candida conjux,
 65 crispula, perdidimus, poteras quae sola dolores
 66 demulcere meos, lacrimisque imponere finem !

PHOSPHORUS

67 Peccasti nec, Batte, parum ! Servare capellas
 68 dum cuperes potius, rapta est tibi Crispula conjux.

BATTUS

69 Phosphore, quid facerem ? Media de nocte maritum
 70 cara sequebatur ; ruit impia turba repente,
 71 unius ad vocem, miserae conversa capellae
 72 et pecore et misso me surripuere puellam.
 73 Illa quidem denas bis jam numerabat aristas,
 74 ante alias Tuscas cunctas cantare perita ;
 75 ulla nec hac melius depresserat ubera palmis
 76 aut ovium teneros depascere noverat agnos ;
 77 ulla nec aut lardo sapientius unxerat ollas,
 78 aut oleo, nobis caules siquando parabat ;
 79 nulla magis rectum sulcum faciebat aratro,
 80 nulla magis prudens ex arbore poma legebat,
 81 et sola in triviis induxerat illa choreas,
 82 quum te, sancta Pales, celebrabat rustica pubes ;
 83 denique nulla fuit toto sapientior orbe.
 84 Haec soror Arcadici fuerat Stylphonis, et Asti
 85 Filia, sed Liguris veniens de gente Molorchi.
 86 Undique pastores sponsam petiere parentes
 87 Arnicolae, sed me voluit solum illa maritum,
 88 quam neque jam misero superest spes ulla videndi,
 89 nec pecus amissum, patrios nec, Phosphore, fines.

PHOSPHORUS

90 Batte, tuas mecum paulum depone querelas !

91 Si libet, his dabitur regionibus altera conjux
 92 gente nec inferior, Siculos quae vincere cantus
 93 audeat, et simas depascere docta capellas.
 94 Sed, precor, haec referas nobis : quis bella superbis
 95 intulit Etruscis ? Quae tantae est causa ruinae ?
 96 Quae fuit haec vestros inter discordia cives ?
 97 Atque hoc interea molli tua caespate fessa
 98 membra leva, nam stare tibi sit, credo, molestum.

BATTUS

99 Phosphore, quae patimur tantorum causa malorum est
 100 regum dira sitis : nunc altera clauditur aestas
 101 ex quo nulla novis mandavimus ordea sulcis,
 102 nec licuit fetas ad pascua ducere vaccas,
 103 gramina nec pecudes, nec contigit haedus hibiscum.

PHOSPHORUS

104 Qui belli sunt, Batte, duces, quae signa, quis auctor ?

BATTUS

105 Ipse ovium certe tibi promptius omnia dicam
 106 nomina quas habui, quam singula nomina possim
 107 enumerare ducum. Belli est Florentia summa ;
 108 pastores unum Tyrrheni nomine dicunt
 109 Alfonsum Juvenem, Calabrum cui regio servit,
 110 quique Fluentinos juravit Marte favente
 111 diripuisse focos : validae sunt pectore vires,
 112 est animus juveni, bellum movet ille tremendum.
 113 Heu quanto Tuscos discurrit milite campos,
 114 quantus agit praedas ! Nimium miser ille, ruenti
 115 claudere qui portas ausit, vel claudere valles !
 116 Pastores alium Federicum nomine dicunt,
 117 Adriacis felix regnum qui terminat oris,
 118 non modo quem populi trepidant, sed pontus et aether,
 119 quodque magis stupeas, luscus plus prospicit Argo :
 120 scis quot fronte oculos, scis quot cervice gerebat !
 121 Quaslibet hic Martis magna vi perdomat urbes,
 122 flumina, castra, viros, pontes, castella casasque ;
 123 aerias arces bombo flagrante per auras
 124 dejecit et nuper, quum Castellina sonarent
 125 moenia, abortivos centum peperere juvencae.
 126 Sed quid ego haec refero tibi, Phosphore ? Sat tibi Battum est
 127 cernere, nam prohibet dolor his tibi plura referre.
 128 Surgite jam miserae mecum, mea cura, capellae,
 129 surgite : in exilium, quo nos fors ducet, eamus ;
 130 nec vobis posthac umquam mea Crispula frondes
 131 excisas summa virides jactabit ab ulmo,
 132 nec stipulas mollique toro susternet avenas.
 133 Surgite, tuque vale jam, nate per omnia felix,
 134 Phosphore : deductis hinc me libet ire capellis.

PHOSPHORUS

135 Batte, tuam cepit quae tanta insania mentem ?
 136 Quo, dic, ire paras ? Ubi tutam figere sedem
 137 ipse magis poteris quam mecum ? Crevit ab annis
 138 noster amor teneris ! Hic hic requiescere fas est
 139 jam tibi, post tantos quos dat fortuna labores.
 140 Cernis ut obscurum compleverint nubila caelum,
 141 perque omnes fuscis valles nox spargitur umbris.
 142 Est mihi quam nosti, quamvis vetus, optima conjux,

143 quae te cumque tuis quantum valet arte capellis
 144 Ruffa, viri nullo discrimine, laeta fovebit.
 145 Inter pastores non est me ditior Umbros
 146 nec pecoris quisquam, nec agri, nam sulcat aratrum
 147 jugera mille mihi : poteris jam vivere mecum.
 148 Batte, resume animos et quam mihi Ruffa paravit
 149 ad cenam, properemus iter : scio, bullit in olla
 150 caulis et immensum setosi sinciput apri.

EGLOGA SECUNDA DE URSINIS PRINCIPIBUS OPPRESSIS

APHRADUS

E_2 v.1 Cyrte, tuas quo cogis oves ? Quo, Cyrte, capellas
 2 stultus agis ? Pingues vel cur de monte juvencos
 3 in siccos deducis agros ? Necat aridus herbas
 4 Sirius et liquidos exurit lampade fontes.
 5 Plana petis, montana fugis : pecus omne peribit,
 6 Cyrte, tuum ! Repetas silvarum, si sapis, umbras
 7 et pecoris miserere tui : furit aeris aestus,
 8 verte pedem ! Non est prudentia quaerere mortem.

CYRTUS

9 Aphrade, nulla meos vicit dementia sensus.
 10 Ducebam ad gelidas umbras armenta gregesque
 11 quos cernis, mediamque viam jam monte tenebam,
 12 difficilem facili solatus arundine passum,
 13 quum mihi forte ruens de vertice montis eodem
 14 Dyndimus occurrit, sic voce locutus anhela :
 15 "Quo, miser, ire paras ! Quo scandere, Cyrte, laboras ?
 16 Ducis ad exitium pecus omne, revertere retro !
 17 Ursorum nam lustra petis, feras undique nostras
 18 Ursus habet silvas ; nosti genus ipse ferarum
 19 quale sit : haud dubitant pastorem invadere primum,
 20 mox capiunt lacerantque pecus sternuntque molossos.
 21 Cyrte, tuum converte pecus, fuge, Cyrte, rapinas,
 22 si sapis ! " Admonitus his, Aphrade, monte recessi.

APHRADUS

23 Non est quod timeas ; vanos, age, Cyrte, timores
 24 exige ! Sunt silvae montisque cacumina tuta
 25 omnia, et Ursorum genus omne ex montibus istis
 26 terruit Androfagus, partim sub jura catenae
 27 subdidit et propriis partim expulit ille cavernis.
 28 Cum catulis abiere suis trepidantibus omnes,
 29 errabunda cohors, numquam reditura Latinis
 30 montibus aut silvis. Sunt pascua libera passim
 31 haec non sola tibi, sed Iapygis Appula rura
 32 tutaque jam Calabriae sunt omnia pascua terrae
 33 et Campanus ager, nec non Laurentia cuncta
 34 jugera, Romuleos tutum pecus omne per agros
 35 Tuscaniaeque solum pinguisque per arva Viterbi.
 36 An nescis gelido quales metuendus ab axe
 37 duxerit ille canes ? Non his valet ulla ferarum
 38 sistere, sed rabiem primam meditantur in ursos,
 39 a quibus, ut fas est, tibi desine, Cyrte, timere.

CYRTUS

40 Ergo ego per montes sic te duce, care, revertar,
 41 Aphrade, et in silvas tutum pecus omne reducam.
 42 Ad virides herbas mecum remeate, capellae,
 43 vertite, oves, gressum, montisque resumite, tauri,
 44 pascua et umbrosi conscendite fontis ad undas !
 45 Ad veteres, dulcis Morica, revertere fagos
 46 dumosumque nemus ; et tu, cornuta mearum
 47 spes ovium, converte pedem, cape laeta virentis
 48 montis iter segura tuum. Tuque, Aphrade, semper
 49 sis felix cum prole tua et cum conjuge laetus,
 50 qui mihi consilio tali pecus omne furenti
 51 caumate servasti. Dii dent aliquando benigni
 52 parque pari et grates meritas tibi posse referre.

APHRADUS

53 Tu quoque, Cyrte, pecus felix age tempore longo,
 54 et quam bina tibi, puto, jam per lustra sitisti,
 55 alma Venus tandem duram tibi molliat Augen.

CYRTUS

56 O, rogo, siste parum : quae lusimus, Aphrade, in illam,
 57 hic te audire velim. Credo sint carmina mille,
 58 mille modi et numeris correspondentia verba,
 59 quis ego Massylum mollissem saeva leonum
 60 pectora, vel tigres placassem fetibus orbas ;
 61 illa tamen surda mea carmina neglegit aure
 62 hasque meas ridet nares gibbosaque terga
 63 callosasque manus hirsutaque tegmina barbae.
 64 Spem tamen illius dederat mihi Cantara mater :
 65 votaue successent, genitor nisi mortuus esset.

APHRADUS

66 Cyrte, tuum carmen meliora in tempora differ :
 67 non vacat, et doleo, mihi nunc audire, quod ipse
 68 Doxocalum exspecto veterem mihi, Cyrte, sodalem
 69 quem nosti. Exiguum sum mercaturus agellum
 70 parque boum : pretio cupio mihi providus adsit.
 71 Nescio venturus cur tardius ille moretur :
 72 "I prae, namque sequar propere", mihi dixerat. Ecce
 73 jam venit. O propera ! Jamdudum torridus hic te,
 74 Doxocale, exspecto : quae nam te causa morata est ?

DOXOCALUS

75 Pone sequebar iter, sed me tardavit inertis
 76 conjugis ira meae. Nam, quam ductaret asellum,
 77 acta furore viae medio prostravit onustum.
 78 Accurri posuique manum juvique, sed illam
 79 haerentem caesis vix ossibus ipse remisi.
 80 Sed tibi, Cyrte, pecus quonam, rogo, ducere mens est ?

CYRTUS

81 Doxocale, ad montes, quoniam sunt omnia tuta,
 82 verto pecus : fugere feri de montibus ursi
 83 Aphradus his dixit cuncti, durumque catenae
 84 androphagi subiere jugum, qui perdere nostri
 85 spem gregis et nobis pervertere cuncta solebant.
 86 Nonne vides etiam insano exardere Leone
 87 omnia per nostros penitus jam gramina campos ?
 88 Vos remanete ambo, memores per secula nostri
 89 vivite, et annosae cornicis vivite in annos,

90 meque pererrantem, quandoque revisite silvas.
 DOXOCALUS
 91 Hactenus, o demens, quod scire, Cyrte, putavi
 92 consiliumque tuum certe non, Aphrade, ineptum
 93 omnibus in rebus. Nunc sed mihi parcite uterque :
 94 mentis inops factus mediis a sensibus erras.
 95 Creditis edomitos penitus sub jura catenae,
 96 aut his perpetuo pulsos a montibus ursos ?
 97 O mentis tenebras, o pectora stulta animosque
 98 pastorum et fibras male sani cordis inertes !
 99 An, rogo, nescitis quodnam sit fortibus ursis
 100 ingenium ? Non est certe vis tanta, nec astus,
 101 non animus, nec tanta ferae prudentia cuiquam.
 102 Esse putent alii quamvis majora leonum
 103 robora, vincit atrox ursus frangitque catenae
 104 vincula, siqua subit, semperque revertitur illuc
 105 fortior ille canum latratibus unde recessit.
 106 Quid quod et hic etiam caeli convexa supremi
 107 circuit et gelido celsus supereminet axe
 108 occiduasque micat non descensurus ad undas ?
 109 Sub nive fert hiemes structisque ex arte cavernis
 110 nutritur succoque pedum pinguetque veterno,
 111 more hominumque coit, Veneris quum munera tractat,
 112 informique suos catulos de carne figurat
 113 ingrediturque bipes, quoties excanduit ira,
 114 et ruit in praedam pecorisque armenta gregesque
 115 aggreditur fremitusque feros movet ore tremendo ;
 116 stat procul et caesi pecoris spectacula pastor
 117 ingemit et mandras nulla juvat arte molossus.
 118 Quos periisse putas ursi jam, Cyrte, redibunt
 119 cum catulis patribusque suis ac matribus unde
 120 discessere modo : scio quid mihi nuntiat illa
 121 quae mihi jam rerum praedixit milia cornix.
 122 Tu tibi, Cyrte, tuum placeat qua dirige gressum.
 123 His ego te monui veteri compulsus amore
 124 expertusque frequens qualis sit moribus ursus.
 125 Cyrte, vale et felix semper ! Nos, Aphrade, tandem
 126 occeptum peragamus iter, via longa morantes
 127 increpat, occiduas et sol inclinat ad undas.

EGLOGA TERTIA DE URSINIS LIBERATIS

E_3 v.1 Nuper ab Aequicolis repetebam forte penates
 2 et patrios longo non visos tempore fines,
 3 quum procul audivi Cyrtum de monte ruentem
 4 pastorem Marsum, superos et sidera caeli
 5 cuncta exsecrantem, misera quoque voce querentem
 6 amissum armenti numerum dulcesque capellas,
 7 atque ovium quicquid silvis pascebat in altis.
 8 Has miser et frustra jactabat ad astra querelas :
 9 "Infelix quid agam ? Quo me insperata redegit
 10 ursorum rabies ? Sunt haec, sunt pascua tuta,
 11 Aphrade, quae dixti ? Sic, sic sub jura catenae

12 ursus erat ? Nostras silvas sic ille reliquit ?
13 Vae mihi vae misero, qui sprevi recta monentem
14 Doxocalum atque tuis quoniam levis omnia verbis,
15 Aphrade, crediderim ! Taedet me vivere, taedet
16 esse homines inter ! Cur non rapuere feroces
17 hanc animam potius ? Cur non hoc corpus acerbis
18 morsibus opposui meritum ? Vel dentibus illis
19 cur miser effugi ? Quavis ego morte merebar
20 sed non sic nostrum rapido pecus ore perire
21 praecipitem qua me mittam de rupe merentem ?
22 Quo me de scopulo rapiet sub vortice pontus ?
23 Quae miserum subito tollent aconita veneno ?
24 O utinam infelix inter Massyla leonum
25 saeva vel Hyrcanae modo tigridis ora jacerem,
26 aut ego fulminei lacerarer ab ictibus apri
27 montibus his qualem sternunt venabula nostris.
28 In me vos saltem torvos convertite rictus,
29 qui pecus omne meum tenuistis in unguibus, ursi.
30 O ubi sunt dulces quondam mea vita capellae ?
31 O ubi spes ovium, spes est ubi tanta mearum,
32 et mihi qui fuerant fortes ad aratra juveni ?
33 Non vitulus, non agnus erit, non caseus ullus,
34 non lac, aut nostris pinguis natalibus haedus ;
35 non his te uxorem ducam te luctibus, Auge,
36 jam bis quinque mihi tantum dilecta per annos.
37 Vivite pastores ovium pecorisque magistri !
38 Vos ego devoveo cunctos, vos omine cunctos
39 exsecror, hanc artem qui me fecistis amare !
40 Vos Erebi has voces, precor, exaudite, tyranni,
41 et firmate preces ! Pecoris contagia vobis
42 ominor et nigris sint cuncta armata venenis
43 pascua et optatas desiccet Sirius herbas ;
44 non vaccae, non fetus ovis, non ulla capellae
45 nascatur soboles, at si sit gratia partus,
46 effundant aloen pro flumine lactis amaram ;
47 ut mea si fuerint armenta, vorentur ab ursis,
48 agnorumque greges si sint, sint praeda luporum.
49 Fistula sit vobis non quae sonet ore, sed illa
50 cuspide quae vobis praecordia figat acuta,
51 pascere monte pecus qui me docuistis ab annis,
52 quum nondum certum signabam pulvere calcem,
53 cultor agri potui, potui qui vinitor esse,
54 aut apium felix examina multa tueri
55 arte, vel esse faber melius, vel tardus agaso.
56 Et qui pastoris quondam vice functus inertis
57 incipias merita jam, Phoebe, senescere barba
58 Thessalicique gregis iterum cogare tyranni
59 pascere ad Amphrysi privatus numine ripas.
60 Sed quid agam ? Repetamne domum ? Non, si deus ipse
61 imperet. Immo ultra Morinos ultraque Britannos
62 ibo, vel infelix glacialis ad intima ponti,
63 ut, qui silvarum pecori modo frigore rapto
64 quaesieram, intenso perdam hanc in frigore vitam.
65 Fucine, magne lacus patriae, cunctaeque valete
66 Marsorum silvae, celsique cacumina montis.
67 Et me quae viridi gentes habuistis in aevo

68 hactenus in patria, tumulum vos ponite Cyрто
 69 (reddantur patrio mea si tamen ossa sepulchro)
 70 atque meum tali signetis carmine saxum :
 71 "Conditur hoc pastor Marsus sub marmore Cyrtus,
 72 impetus ursorum cui jam pecus abstulit omne,
 73 exstinctos stolidus penitus dum crederet ursos".

EGLOGA QUARTA DE REGIBUS ARAGONEIS

CARPOFORUS

E_4 v.1 Carcale, quid censes ? Num censes, Carcale, eundum
 2 regibus ejectis nobis his montibus esse ?

CARCALUS

3 Immo magis tuta nobis jam sede manendum
 4 figendumque pedem, superis et rite litandum,
 5 qui tot Aragoneis nos eripuerunt tyrannis
 6 exemptosque pii tandem voluere tributis,
 7 detrectabat onus quorum gens quaeque superbum.

CARPOFORUS

8 Carcale, sic illis saltem male parce loquendo,
 9 nam sua, quum vivant, poterunt in regna reverti
 10 proque etiam levibus miserum te plectere verbis.
 11 Ut lubet, hic maneat ; ego, Carcale, linquere terras
 12 has meditor, partes ad quaslibet orbis iturus,
 13 inclitya Parthenope donec in regna receptet
 14 inque suas sedes illos aliquando reponat.
 15 Sed tu, dic quaeso : quae tanta tributa coactus
 16 pendere jam fueras ? Scio me quoque regibus illis
 17 persolvisse aliquid, sed me sine legibus aequi
 18 persolvisse nihil. Numquid tibi, Carcale, reges
 19 debuerant potius praestare tributa clientes ?
 20 Nam memini dixisse deos monitusque dedisse :
 21 "Reddite quae regis sunt omnia, reddite regi,
 22 et sunt quae divum, vos omnia reddite divis".

CARCALUS

23 Carpofo, heu quaeris cur me memorare quid olim
 24 et quantum tribui nostra pro parte ? Quotannis
 25 mittebam binos pingues ab ovilibus agnos,
 26 tris haedos vitulamque unam pro lege tremenda,
 27 unius adde etiam vervecis pectora crassi.
 28 An non hoc fuerat nimis intolerabile pondus ?

CARPOFORUS

29 Ergo quod hoc doleas, hoc est de regibus illis,
 30 Carcale, quod quereris ? Fuit haec num saeva tyrannis
 31 anne onus et pensi fuit haec tam magna tributi
 32 sarcina ? Cur tota sic, Carcale, mente recedis ?
 33 Agnorum plus ipse etiam largissimus illis
 34 de grege mittebam, plures quoque misimus haedos
 35 vervecisque decem, totidem cum prole juvenas,
 36 cumque his multa dabam laetus pretiosa Galesi
 37 vellera. Solvissem sed tota armenta gregesque,
 38 proque illis numquam renuissem pendere vitam,
 39 sub quibus has nostras cunctas Astraea per oras

40 laeta vagabatur, veluti quum saecla fuerunt
 41 aurea : summa quies passim, pax alta per omnes
 42 pastores inerat nemorum securaque campis
 43 pascua cernebas, nusquam formido luporum,
 44 atque latrocinii nusquam timor, undique cantans
 45 carpebat tutus noctesque diesque viator
 46 et securus iter, ipsae meliora capellae
 47 et distenta magis referebant ubera vaccae,
 48 et plus lactis oves nostraeque saporis habebant.
 49 Parce igitur tantis maledictis, Carcale, posthac
 50 his tu seu maneas, seu sis abiturus ab oris :
 51 namque vices variat fallax violentia fati.

CARCALUS

52 Carpofores, accipito paucis quae sentio verbis :
 53 tu quia dives eras, haec munera regibus illis,
 54 sive tributa magis, persolvere tanta solebas.
 55 At nos, divitias quibus improba fata negarunt,
 56 multaque turba sumus, tantum justum esse putamus
 57 persolverisse nihil : mihi sunt namque undique nati
 58 nataque (quod cruciat) jam praematura marito,
 59 cui jam nupturae non est satis una juvenca,
 60 non duo sunt haedi, non quattuor ordine librae
 61 lanitii. Quid enim tu talia tempora laudas ?
 62 Implevit tandem pastorum vota suorum
 63 saepe rogata Pales : nam jam, mihi crede, feremus
 64 mitius imperium, meliores Gallia mores
 65 attulit huic regno, tutum fore creditur omni
 66 valle pecus. Trepidae jam vos gaudete capellae,
 67 iteque securi jam qualibet, ite, juvenci !
 68 Quicquid erit, nostrum illud erit, non regibus haedos
 69 amplius aut agnos, vitulas nec mittere cogar.

CARPOFORUS

70 Ergo tibi est animus, mens est tibi certa manendi,
 71 Carcale. Dii tribuant tutae, precor, otia vitae,
 72 atque tuo pecori placidam et sine fine quietem ;
 73 sed saepe augurio bona spes concepta futuro
 74 fallitur, et vana sperantes decipit aura.
 75 Ast ego, quod statui, tota cum prole recedam
 76 cumque mei consorte tori, pecus omneque mecum
 77 certus agam, venumque dabo, si pascua desint.
 78 Forsitan exilium nostrum fortuna juvabit,
 79 me reddens quandoque casae patriaeque relictae.
 80 Carcale, tu interea Rhodani cum gente triumphas.

CARCALUS

81 Tu quoque nobiscum potes his remanere sub oris,
 82 Carpofores, et patrios felix habitare penates.
 83 Ire per exilii quis te tormenta coegit ?
 84 Quis te Campanis prohibet consistere terris ?
 85 Dulce tibi fuerit sub Gallica vivere jura.

CARPOFORUS

86 Nil mihi dulce meis poterit sine regibus esse,
 87 immo etiam misero fuerit jam vivere amarum.
 88 Vivere num potero miser in regionibus istis
 89 unde mei extorres modo sic abiere per undas
 90 Trinacrias cuncti, sed nulla ob crimina, reges ?
 91 Ah, peream potius cum prole, uxore, capellis,

92 quam mea tam duris rigeant praecordia fibris !
 93 Turbasti o nostram cur Gallia saeva quietem ?
 94 Nempe tuis poteris regnis contenta manere.
 95 Quid tibi Aragoneae gentis domus inclyta fecit ?
 96 Quaeve tuis regnis injuria venit ab illa ?
 97 Non armata tuas umquam penetravit ad Alpes
 98 illa, nec insidias contra tua sceptrata paravit.
 99 Campanos sed enim tu milia mille quietos
 100 impia sparsisti passim sine more per agros
 101 et cum Teutonicis foedasti haec regna catervis.
 102 Vivite, si liceat, vos me qui semper amastis
 103 pastores alii ! Cras his me cedere terris
 104 et migrare palam vestrum me quisque videbit.
 105 Pro reditu, vos oro, meo date vota precesque,
 106 ut liceat patrios aliquando revisere fines
 107 vobiscumque mori, quod ne tamen esse futurum
 108 credite, Aragoneos videam nisi regna tenere.
 109 Maxime rex superum, tota cum gente deorum
 110 te precor ut vanos non haec mea vota per Euros
 111 ire velis, nostris nec enim tibi, maxime, coeptis
 112 victima pauca cadet, sed cuncta armenta dabuntur
 113 nostra tuis cultris, nec non ab ovilibus agni
 114 quot quot erunt, et pingue ferent haedilia quicquid.

EGLOGA QUINTA DE REGIBUS ARAGONEIS

DAUNUS

E_5 v.1 Quid tu etiam has silvas quid, Salentine, pererras ?
 2 Solus et infelix similis mihi flere videris
 3 amissam uxorem. Nunquid tu forsitan illam
 4 quaeris et ignoras qua parte sit orbis eundum ?
 5 Non agis aut tauros, aut, Salentine, capellas,
 6 non canibus comitatus ades. Quo tendis ? Et hujus
 7 erroris quae causa tui ? Rogo, siste parumper !

SALENTINUS

8 Me quoque participem voluit fortuna malorum
 9 tantorum, quae, Daune, vides. Meritoque fatebor
 10 illa pati, miseram nec parcam perdere vitam,
 11 quod veteres reges fatua modo mente perosus
 12 stultus adoravi qui venit ab axe tyrannum
 13 saepius et Belgas captus novitate vocavi.
 14 Ergo tui nostros tibi monstravere dolores
 15 et quia consimili concussus sorte vagaris
 16 amissam uxorem me quaerere, Daune, notasti.
 17 Quam vellem falsus vates mihi, Daune, fuisses !
 18 Atque utinam sola viduus consorte carerem :
 19 vae mihi, sed geminas hodie rapuere sorores,
 20 quas puto tu noras, non inferiora Sabinis
 21 pectora servantes ! Sed quid vixisse pudice
 22 profuit ? Imprimis genus hoc immane pudicas
 23 persequitur, fruitur stupro fruiturque rapinis.

DAUNUS

24 Par scelus est igitur nostrum, par causa nefandi,

25 Salentine, mali : meruit mala mortis uterque
 26 et dare tam magno meritas pro crimine poenas,
 27 hujus agi in praeceps quod amavimus otia regni.
 28 At non Belgarum conjux mea casta rapinas
 29 Sandra merebatur, quae mecum laeta ducentos
 30 fovit heri et plures intra magalia Gallos
 31 fronte alacri manibusque piis verbisque benignis
 32 pinguibus ac dapibus, quales de more parare
 33 rustica mensa potest. Illuc ego promptus et illuc
 34 Dum studeo plenis nova fercula ponere mensis
 35 educoque pedem per limina aperta frequenter
 36 sublata interea nusquam mihi Sandra reperta est,
 37 quam miser, ut cernis, nemorum per devia quaero.

SALENTINUS

38 Heu vereor mortem ne sponte petamus uterque !
 39 Nam quid, si invenias uxorem, Daune ? Quid inde
 40 si de barbarie vel rapta uxore queraris,
 41 Daune ? Statim gladio jugulum praebere necesse est.
 42 Non peccata putant Galli mortalia septem :
 43 quicquid enim ingluvie turpique libidine peccant,
 44 has inter gentes actus venialis habetur.
 45 Dic quid ages igitur ? Statuisne longius ire,
 46 an repedare domum ? Mihi nam jam sistere mens est,
 47 ulterius nec ferre pedem, quia, Daune, reliqui
 48 omne pecus, quod credo hodie cum conjuge raptum
 49 ducitur in praedam. Nam si fortuna perire
 50 hoc quoque permisit, reliqua est spes nulla salutis,
 51 Belgarum quoniam quum fessa libido jacebit,
 52 Germanas gravida cum conjuge forte remittent.

DAUNUS

53 Quid faciam quaeris ? Tu, Salentine miselle,
 54 consule de nostris pariter quid rebus agendum :
 55 nam sapis, et quoniam video te vera loquentem
 56 illud agam quod ages : ego sum vix namque superstes.

SALENTINUS

57 Daune, per has silvas uxorem quaerere vanum est,
 58 illa quod Appuliae vicina per oppida fertur
 59 aut jam Locrenses deducta est praeda per arces.
 60 Verte pedem, atque tuam sic quaerere desine Sandram
 61 quae tibi vel dives, vel saltem feta redibit.

DAUNUS

62 Me miserum, quid ais ? Quid, Salentine, jocularis ?
 63 An si feta domum redeat tibi forsitan uxor,
 64 illam intra postquam meditaris habere penates ?

SALENTINUS

65 Daune, mihi credas, non est, quod dico, joculari.
 66 Cur non pregnantes recipi mereantur, et illud
 67 tollere quod parient, fuerit seu femina, vel si
 68 mascula progenies ? Ut quos ita protinus omnes
 69 fovimus, et toto quos exspectavimus anno,
 70 nascantur nobis etiam de conjuge Galli,
 71 et quoniam votis respondent fata secundis
 72 ut testamentis succedat Gallia nostris !

DAUNUS

73 Tu felix igitur jam, Salentine, profecto
 74 non modo qui haeredem Gallo de sanguine dulcem

75 venturum exspectas, sed eodem sanguine jam jam
 76 sic tua barbarica replebis ovilia prole :
 77 nam tibi tergeminos referat tua forsitan uxor
 78 et plures parient tibi, Salentine, sorores :
 79 sunt fecunda magis quia Gallica femina nostris.

SALENTINUS

80 Quid tum si redeant utero pregnante sorores,
 81 Gallorumque gregem pariant hinc inde reversae ?
 82 Custodire pecus melius sic, Daune, licebit :
 83 non modo pastores ovium sint ocius omnes,
 84 si fortuna mares tribuat, si femina nobis
 85 nascatur, nostro volo pascat monte capellas.

DAUNUS

86 Dicere jam fas est te, Salentine, beatum,
 87 qui tot pastores Senonum de gente moraris.
 88 Nulla magis caute gens hac pecuaria tractat
 89 et, quod erit mirum, poterunt ediscere linguam
 90 Gallorum et mores et Gallica verba capellae.
 91 At si nostra marem pariat mihi Sandra, magistrum
 92 cauponae faciam ; fuerit si femina partus
 93 ante lupanaris prostabit limina cellae.
 94 Sed jam Phoebus equos Zephyri festinat ad undas
 95 dum mala quae patimur frustra sectamur uterque.
 96 Protinus hinc nostrae repetamus culmina villae.
 97 Nam tua jamdudum sedit sententia cordi,
 98 Salentine, mihi : vanum est nos longius ire !
 99 Ipse tuas jam carpe vias (ego namque revertar
 100 qua tuleram gressus) et quum tibi reddita conjux
 101 fuderit hos partus, me, Salentine, vocandum
 102 curabis, quoniam statui tibi compater esse.

SALENTINUS

103 O bene quam dixti : primum te, Daune, vocabo
 104 compatris ad fontes, et tu compesce dolores
 105 interea magnos, donec tua Sandra redibit.

DAUNUS

106 Quam merito patimur nos haec tormenta malorum
 107 pastores, etiam multo pejora merentes,
 108 rura per Appuliae cuncti qui vota frequentes
 109 sparsimus, ut regni tandem diadema novaret
 110 Parthenope, et nostris melius daret otia rebus !
 111 Scilicet haec data sunt pastoribus otia tantum
 112 ut jaceant viduo sotia sine conjuge lecto.
 113 Ibo domum, nec cara domi te Sandra videbo.
 114 Anne domi potero solus sine conjuge tanta
 115 vivere ? Sed rumpant potius mihi stamina Parcae !
 116 I nunc, Daune ; miser jam "Francia, Francia ! " clama
 117 rura per Appuliae. Veteres migrate tyranni
 118 gentis Aragoneae : sic deperiisse feruntur
 119 tranquillo ranae quondam de rege querentes.

EGLOGA SEXTA DE FIDE CANTALYCA SERVATA

PAMPHILUS

E_6 v.1 Horrebant patriae ventis glacialibus Alpes
 2 et caelum densabat hiems, via quaeque rigebat
 3 invia facta gelu, passim nix alta jacebat,
 4 sparserat et nostras se Gallia saeva per oras,
 5 Parthenopesque mei deserto stemmate reges
 6 per Siculas ierant fatis urgentibus undas,
 7 a quibus haud ullo regni gens tota pudore
 8 descierat populique omnes in sceptris rebelles
 9 Gallica voce novum magna diadema vocabant,
 10 praeter Cantalyci fidissima tecta popelli,
 11 solus Aragoneos forti qui voce sonabat,
 12 promptus barbaricis opponere pectora telis
 13 et pro rege suo mortis genus omne subire.
 14 Pastorum quum sola fides luxuria decusque,
 15 Pamphilus obsessa patria modo pastor abibat
 16 Belgarum fugiens iras Senonumque furores
 17 et sibi juratae discrimina plurima mortis,
 18 nocte dieque suos quod fidus arundine reges
 19 et quod Aragoneae gentis memoranda canebat.
 20 Ille, velut Phrygius dux quondam montibus Idae
 21 cum patre sublato natoque haud passibus aequis
 22 ibat, anhelantes adverso monte nepotes
 23 corde gemente trahens : hanc nam cervice gerebat,
 24 hunc dextrae implicitum, laevae miserabilis illum
 25 et tamen a lasso pendebat fistula collo
 26 pastoremque suum semper comitata fidelem ;
 27 anteibant dominum per dura cacumina montis
 28 insignes gemini magna virtute molossi
 29 servantesque sui domini vestigia semper.
 30 Non procul illius sic jam fugientis adhaerens
 31 turba premebat iter, cui, si via nota fuisset,
 32 non poterat saevae vitare pericula mortis ;
 33 sed quum sentiret strepitum pius ille sequentum
 34 vota Pali Phoeboque facit, sic corde profatus :
 35 "Magna Pales cui sacra damus, quam ture meroque
 36 pastores colimus, viridi cui caespite in agris
 37 de grege jure frequens pinguis cadit hostia nostro,
 38 da mihi barbaricas evadere, sancta, catervas
 39 insonti, nec enim Gallorum crimine quemquam
 40 laesimus, illorum nec per vineta capellas
 41 egimus, aut ovium mandras immisimus agris.
 42 Et tu, Phoebe pater, precor, auxiliare ruenti
 43 pastori, qui magna meis tua munera septis
 44 accipis, et sacris cui nostra altaria fumant ;
 45 tu quoque pastorum placidum nam numen haberis :
 46 inter pastores olim pecorisque Pheraei
 47 pastor eras regisque tui pecus omne regebas,
 48 cui mea continuum meditatur fistula carmen
 49 semper et assiduis precibus tua limina pulsat".
 50 Sic ait et tandem montana per avia Gallos
 51 effugit et tutus biduo pervenit ad Umbros,
 52 plus ubi quae fuerat passus memoranda timebat
 53 quam modo quum fugeret per aperta pericula mortem,
 54 non secus ac pelagi saevas post nauta procellas
 55 in non sperato qui vela madentia portu
 56 colligit et renovat casus memorando pavorem.

57 Attamen ut rediit fessos per spiritus artus
 58 sedulus ingentes laudes regumque suorum
 59 fata recantabat, nec adhuc cantare per Umbros
 60 desinit, has fundens fido de pectore voces :
 61 "Quando ego laetus oves per Daunia rura reducam
 62 et mea tam tutis campis armenta fovebo ?
 63 Quando ego Parthenope pulsum te, Galle, videbo,
 64 interturbator nostrae fractorque quietis ?
 65 Namque, mihi ut referunt, alias furor ille Latinis
 66 urbibus irrupit Romanaque moenia coepit
 67 et Capitolinis iniecit rupibus ignem,
 68 sed tamen haud umquam regni successibus aequis
 69 turpiter hinc semper spoliis abiere relictis,
 70 quod fore nunc etiam spero, pater optime divum,
 71 huic nisi tam saevae mens est tibi cedere genti.
 72 Quando ego Aragoneos cunctos ex ordine reges
 73 in patriam Siculo mirabor ab orbe reversos,
 74 sedibus inque suis meritissima sceptrata tenentes ?
 75 Quando etiam tanta pastores pace fruemur,
 76 quanta fuit toto regno regnantibus illis ?
 77 Qualibet extorres ierant regione latrones,
 78 nulla viatores aliquos formido tenebat ;
 79 fas erat et dulces sub qualibet arbore somnos
 80 carpere, cumque suis balantes matribus agni
 81 laetitiae tunc signa dabant, brumaque reversa
 82 Appula sponte sua repetebant pascua vaccae ;
 83 Bacchus ubique dabat large sua dona, Ceresque
 84 luxuriabat agris ; perque oppida cuncta, per urbes,
 85 nusquam fracta fides, nusquam violentia, nusquam
 86 conjugis amissae deflebat damna maritus.
 87 At nunc (invidiae quia sic voluere tumores)
 88 sub pede barbarico lacrimat Campania tota
 89 pressa jacens Calabrumque solum, gemit undique tellus
 90 Daunia, Peligni, Marsique Aequique dolentes,
 91 Parthenope pulsat caelum foedata querelis,
 92 semper Aragoneis quondam exaltata triumphis.
 93 Non usquam pastor, non usquam tutus arator,
 94 villicus haud usquam, parvi vel cultor agelli ;
 95 ulla viatori non est tutela viarum,
 96 qualibet invadunt nunc in regione latrones,
 97 Belgarum in praedas abeunt armenta gregesque
 98 deque viri rapitur mediis complexibus uxor,
 99 et patitur stuprum castissima virgo nefandum,
 100 et, quod inauditum, vetulae rapiuntur, et illae
 101 sacrarunt Vestae quae virginitatis honorem.
 102 Sicca videt penitus vino sua dolia Bacchus
 103 passaque sunt Cereris granaria cuncta rapinas
 104 et, ne quid desit, leges siluere Latinae :
 105 nusquam justitiae, nusquam pietatis honores.
 106 Mi, quia cantabam regum memoranda meorum
 107 facta, necem misero rapta mihi pelle minantur ;
 108 vivo tamen, cantoque tamen de regibus illis,
 109 semper et illorum canet haec mea fistula laudes
 110 et mihi pascuntur tutis duo milia campis
 111 securi pecoris : scio nam regionibus illis
 112 Gallus abest, nec Piceni malus otia vexat,

113 at mea barbaricae modo quae cinxere phalanges
 114 parvula Cantalycae fidissima moenia gentis
 115 non pavitant aliquas animo constante cateias,
 116 victa nec horrificis poterunt dare pectora bombis,
 117 immo ferent meritos pulsae obsidionis honores,
 118 meque revocabunt post tanta pericula tutum
 119 cum pecore et canibus parvisque nepotibus illuc.
 120 Non ego sed patriae repetam, mihi credite, fines
 121 certus Parthenopes sciero nisi sceptra receptae,
 122 expulit unde meos tam saeva rebellio reges.
 123 O ego quam dulcis fuero tunc carmine pastor,
 124 si meus in solium redeat rex magnus avitum !
 125 Vicerit Eurydices tunc fistula nostra maritum
 126 et quem cum cithara servavit Ariona delphin
 127 et qui mellifluo fundavit carmine Thebas.
 128 Quod mihi si illorum reditum fortuna negarit,
 129 non procul a patria cupio dissolvere corpus,
 130 et mea si quisquam dignabitur ossa sepulchro,
 131 hoc super illud amans dignabitur addere carmen :
 132 "Pastores inter pecoris notissima fama
 133 pamphilus hic jaceo, peregrinis raptus in oris
 134 sed potui potius qua vis tellure perire
 135 quam pius in patris sub gallica vivere jura".
 136 Talia pastores noctesque diesque canentem
 137 excipiunt illum magnis cum laudibus Umbri :
 138 haec pietas, haec vera fides, hic cordis amantis
 139 verus amor, non qui rebus retro cedit iniquis
 140 et solum in rebus qui novit amare secundis.

EGLOGA SEPTIMA AN FERDINANDUS REX SIT IN REGNUM REDITURUS

CROTUS

E_7 v.1 Cobale, sub corylo quid cornicaris opaca ?
 2 Audio namque tuae jamdudum murmura vocis,
 3 dum sequor errantes haec per dumeta capellas
 4 et defessa parum compostus membra sederem ;
 5 nescio Aragonei modo quid de regis agebas
 6 fortuna et risum interea tecum ipse movebas.
 7 Dic, rogo, quicquid erat, quamvis ego scire quid esset
 8 auguror, es quoniam Belgarum semine natus.

COBALUS

9 Non ego, Crote, fui Belgarum semine natus,
 10 sed genus et nomen fateor me gentis amare,
 11 liberat has saeva quae sola tyrannide terras,
 12 de quibus hic mecum solus modo rebus agebam.

CROTUS

13 Cobale, quam loqueris quaenam fuit ista tyrannis ?
 14 Spero dabis meritas aliquando, Cobale, poenas
 15 pro factis dictisque tuis. Nuperne receptam
 16 Parthenopen nescis, Capuanae et moenia gentis,
 17 et Martis Veneti cecidisse in retia Belgas,
 18 et fidei antiquae populos ad jura reverti ?

COBALUS

19 Nescio, sed quid tum ? Scio Gallia continet arces
 20 Parthenopes regnique omnes, et possidet ampla
 21 Caietae castella manu. Nil proderit aura
 22 plebis Aragoneis, nam stirps invisita per orbem
 23 nunc mendicat opem ; non illi ex more petitas
 24 suppetias gens ulla dabit, rex Gallicus ille
 25 ducet in hoc regnum rursus bonus agmina Xerxis
 26 non modo, Parthenopen quae ad Gallica sceptrata reducent,
 27 Italiae sed jura dabit legesque subactae.
 28 Arma quis effugiet, quis Gallica tela, quis astus ?

CROTUS

29 Non noram augurii te, Cobale, scire per artes
 30 dicere de rebus praesentibus atque futuris.
 31 An tibi consimilis praedixit talia bubo,
 32 Cobale, vel tales cecinit tibi noctua cantus ?
 33 O nebulo, Italiae nescis latus omne moveri
 34 regis in auxilium nostri ? Quid inania jactas
 35 verba, miser ? Quid adhuc castella retenta, quid arces
 36 objicis et speras ventura quid agmina Xerxis ?
 37 Non bis plena sibi renovabit cornua Phoebe,
 38 quum debellatis omnes custodibus arces
 39 gentis Aragoneae cernes ad sceptrata reverti,
 40 cui tandem ejectis reddet deus omnia Gallis.

COBALUS

41 Crote, ego non augur nec vaticinator habendus,
 42 nec me solertem volucres fecere futuri,
 43 sed me harum rerum fecit natura peritum.
 44 Ipse velim dicas, quibus auxiliaribus armis
 45 res geritur : Latias non est gens ulla per oras
 46 auxilio ejectis merito ventura tyrannis
 47 et qui Parthenopen modo restituere rebelles,
 48 insidias iidem rursus bellumque novabunt.
 49 Numquid adhuc nescis quam sit mutabile vulgus ?
 50 Interea sed tu maledictis parce loquendo,
 51 nam scio pro verbis tibi reddere verba nefandis.

CROTUS

52 Talia sic mecum quid, Cobale, fundis, inepte ?
 53 An patrem ignoras Romanae sedis amicas
 54 erexisse manus et suscepisse tuendum
 55 regnum Parthenopes, caput et pro regibus illis
 56 ponere apostolicum nec non diadema paratum ?
 57 Jam jam perspicias valeat quid Borgia mitra
 58 et quantas habeat cernes gens Borgia vires,
 59 nobile cui tribuit generosa Valentia nomen :
 60 illa dedit geminos Christi vice, Cobale, patres,
 61 qui Vaticani sanctum tenere tribunal,
 62 saepius et rutilo fulsit decorata galero.
 63 Sextus Alexander sed qui nunc praesidet arci,
 64 nuper et invicta misit cum gente nepotem,
 65 haereat ut lateri, donec sit victor, amico
 66 regis Aragonei, cui dent rogo fata salutem.

COBALUS

67 Crote, quid iste nepos ? Dic, quam valet, obsecro, ferre
 68 solus opem ? Non iste potest stabilire labantem
 69 Parthenopen, tenui gravis exit ab obice torrens.

CROTUS

70 Quam bene torrentem dixisti, Cobale, Gallos :
 71 sicut enim aestivo siccatur tempore torrens,
 72 qui fuerat magnum brumali tempore flumen,
 73 sic illos Latias modo qui fluxere per oras
 74 cumque suis stabulis passim pecus omne tulerunt,
 75 aestibus atque siti siccabit Borgia proles.
 76 Ignoras juvenem Cotfredo, Cobale, natum
 77 moribus et qualis, vel quantus pectore, quantus
 78 consilio atque animo Joannes Borgia quantus ;
 79 Parthenopes sed enim postquam sunt tecta recepta
 80 missus Aragoneo regi est tutela salusque,
 81 non digressurus, nisi pulsus undique Gallis,
 82 et cito cardineos ibi percepturus honores.

COBALUS

83 Unde tibi, quaeso, fuit haec tam nota propago ?
 84 Namque ego quot pascis puto te nescire capellas,
 85 Crote, tuas ; demens, quid talia somnia fingis ?

CROTUS

86 Dementem appellas ? Et me tibi somnia vana
 87 fingere, inepte, putas ? Scio nomina nempe mearum
 88 cuncta capellarum, scio quot sunt matribus agni
 89 et mihi quot fortes sudent ad aratra juveni.
 90 Unde mihi quaeris sit Borgia nota propago,
 91 nulla magis totum qua stirps est nota per orbem ?
 92 Sed tibi qui potuit gens Borgia tanta vel unde
 93 nota patere, miser, numquam versate per urbes,
 94 incola silvarum nemorumque habitator et antri,
 95 quem puto non numerum digitorum nosse nec unguis
 96 quot manibus gestas ? Juvenis quid Borgia possit,
 97 Cobale, jam cernes, quantum valet arte videbis
 98 pectore, consilio, lingua, sermone manuque,
 99 moribus, ingenio, quam strenuus hostibus hostis.

COBALUS

100 Ergo tuis rebus satis est tibi Borgia proles,
 101 Parthenope. Insanis, vanum est, mihi crede, loquendo
 102 quicquid ais : rursus Senonum Campania turmas
 103 perferet, ejectis rursus male regibus istis
 104 gentis Aragoneae cunctis, nec Borgia tantis
 105 eripiet se mitra malis. Volet omnia Gallus
 106 sub sua sceptris, potens dominus terraeque marisque,
 107 unicus in mundo, qui pro Jove regna tenebit.

CROTUS

108 Cobale, qui fueras jam pridem carcere dignus,
 109 qui claudit reseratque fores caelestis Olympi
 110 sic audes de patre loqui ? Dare Borgia regnum
 111 mitra potest et cuncta potest ea tollere terris,
 112 Hesperii regis cui se junxere phalanges.
 113 Scis habeat forsant quantas Hispania vires
 114 horrida, nec desunt Germani Caesaris arma,
 115 magnanimumque suum quibus addidit Anglia regem
 116 et Ligurum princeps qui temperat anguifer oras,
 117 Sfortiadasque regit populos temone sub uno.
 118 Quid referam Venetum vires artesque potentes,
 119 quos ego non solum cunctis plus posse Latinis
 120 crediderim populis, toto plus posse sed orbe,

121 qui superant alios argenti et montibus auri,
 122 atque suas agitant classes maria omnia circum,
 123 expanduntque manus alio sub sole frequentes ?
 124 Vincere quis poterit terrestri Marte, quis illos
 125 navali poterit vel propulsare duello ?
 126 Qualiter antiquos aequant virtute Quirites,
 127 quorum erat in rebus positus non terminus ullus !
 128 His conjuncta tuos Gallos non Borgia vincet
 129 dextera ? Vae misero tibi, qui cupis, improbe, Gallos !

COBALUS

130 Hoc sine si vicit regnum mucrone recluso
 131 Carolus, hoc vincat cur non stricto ense revertens ?

CROTUS

132 Nulla nec obstantes populos devincere laus est.
 133 Prodidit Italiae livor malus obvia Gallis
 134 limina et Euboici populi diuturna simultas.
 135 Non via barbarica patuit vi facta, nec illis
 136 fecit iter virtus : nam quid valere cohortes
 137 regis Aragonei populis prodentibus urbes
 138 claustraque portarum cunctis reserantibus hosti ?
 139 Scis bene quantus erat qualisque Alfonsus in armis,
 140 non modo quem gentes omnes tremuere Latinae,
 141 magna sed unus erat terrae formido marisque.
 142 Quid faceret tantis clausus rex ille periclis ?
 143 Cessit et a nato quondam reparanda reliquit
 144 omnia : norat enim jam jam fugitura Ruteni
 145 agmina, quod superi menses post quinque dederunt.
 146 Quare, age, de Gallis jam desine, Cobale, pulsus,
 147 stulte, loqui, ni forte velis armenta loquendo
 148 cum pecore et miseram forsitan deperdere vitam
 149 et tua Aragoneum resonet jam fistula regem.

COBALUS

150 Crote, equidem moriar quavis ego morte, priusquam
 151 excidat ex animo Galli mihi nomen et ore.
 152 Tu tibi Aragoneum regem cane, Crote, labantem.

CROTUS

153 Hic hodie, nisi me pietas innata teneret,
 154 calcibus et pugnibus te, Cobale stulte, docerem
 155 quid sit Aragoneum fando sic laedere regem,
 156 atque tuo ferres dignas pro crimine poenas.

COBALUS

157 Anne tuos pugnos credis me, Crote, timere ?
 158 Ipse etiam et pugnibus et calcibus impeto ventres ;
 159 sum quoque, sum quoties opus est mordere paratus.
 160 Utque tibi stomachus crescat magis, accipe, dicam :
 161 "Vive decus mundi, tu Francia, Francia, vive ! "

CROTUS

162 Non potes hinc hodie pugnibus nisi totus acerbis
 163 calcibus atque meis nisi, Cobale, tunsus abire.
 164 Hos tibi nunc calces, quia sic bene "Francia" clamas,
 165 incutio, hos pugnos habeas tibi, Cobale, quod sic
 166 agmina Gallorum jam jam reditura profaris ;
 167 hos et Aragonei patiaris nomine regis,
 168 hos tibi pro meritis infringit Borgia calces.
 169 I, nunc, de Gallis et cornicare per agros,
 170 Cobale, de rebus et vaticinare futuris.

171 Forte miser disces quid sit maledicere rebus
 172 regis Aragonei, disces quoque Borgia quanta est
 173 clara domus, disces etiam non laedere Crotum.
 174 Vix me contineo quin te cogam ire sub umbras
 175 Tartareas, soleo sed non occidere quemquam.
 176 Vive, sed ut meritus pastorum dedecus et faex ;
 177 vive deis superis cunctis invisus et imis
 178 atque vale Crotique tui quandoque memento.

COBALUS

179 Ferte inopi auxilium misero, succurrite, quaeso,
 180 pastores ! Quid enim merui fecive malorum ?
 181 Imperiumne tenet nostris hic Crotus in oris ?
 182 Sic fuit et nobis libertas rapta loquendi ?
 183 Est ubi terrarum fandi non libera lingua ?
 184 Sed mereor, quoniam modo sic de rege loquebar
 185 promptus Aragoneo, nec non de patre supremo
 186 sedis apostolicae, fuit et mihi laesa propago
 187 Borgia. Jure igitur dixit bonus ille magister :
 188 "Praestat et est melius multis aliquando tacere
 189 quam temere et frustra male perdere verba loquendo".

EGLOGA OCTAVA DE CARDINALI SUO BORGIA

POETA

E_8

v.1 Maestus eram et, veluti confusa mente solemus,
 2 per Latios fines nullo comitante vagabar,
 3 membraque sub patula quercu defessa levabam
 4 nescius ipse mei, mihi quo tunc esset eundum,
 5 quum mihi qui fuerant longo jam tempore noti
 6 Epulus et Ruffus cunctorumque Elinus hospes,
 7 inter pastores Latios non gloria parva,
 8 Borgiadum laudes mirandaque verba sonabant.
 9 Protinus ad nomen conversus et ora loquentum,
 10 ad me mortifero posito maerore redivi.
 11 Epulus ad Ruffum sic primum est ore locutus,
 12 Elinus inde suas supplebat in ordine partes.

EPOLUS

13 Ruffe, quid huc properas, quidve huc properando requiris ?
 14 Dic, rogo, quicquid id est, si fas est scire rogando.
 15 Anne novi quicquam nostros fortuna per agros
 16 attulit, ut solita est nostram turbare quietem ?
 17 An potius captus sic mente vagaris et erras ?

RUFFUS

18 Epole, non possum tecum hic nunc, parce, morari.
 19 Nam, cur sic properem, nequeo tibi dicere, nec sum
 20 demens : sunt nostri, sunt gaudia causa furoris
 21 maxima ; mitte precor, tibi sic armenta gregesque
 22 crescant et faciles subeant ad aratra juvenci,
 23 atque ubi sit noster, cui gaudia talia porto,
 24 Elinus et pascat dic qua regione capellas.

EPOLUS

25 Non dicam certe, nisi me prius, ipse rogatus,
 26 participem facias. Scio se qua valle receptet

27 et qua nunc maestas teneat sub rupe capellas.

RUFFUS

28 Numquam hodie vinces, ut quae sunt gaudia primus
29 Epole, percipias ; potius miracula dices
30 et sunt, crede mihi, miracula maxima, vel quae
31 maxima mortali raro dare Juppiter audet :
32 Elinus haec primus volo me referente resciscat,
33 cura revertentis cruciat quem saeva doloris.
34 Tu nobis ostende locum, quave ille moretur
35 parte doce ; mecumque veni, si talia sic tu
36 scire cupis, vel, quaeso, meum tu dirige gressum.

EPOLUS

37 Quin potius tecum quam sic remanere profecto
38 ferre pedem statuo ; sic me hac tu, Ruffe, sequaris.
39 Elinus ad quercum veterem sub rupe capellas
40 continet atque suos tristes cum matribus agnos.
41 Tuque meum interea pecus observare memento,
42 Crispe, rogo : raptim (non est via longa) revertar.

RUFFUS

43 Tandem te video, tandem qua parte moraris,
44 Eline care, scio ; quid stas maestissime, quid stas ?
45 Huc ades et lacrimas, gemitus, suspiria, planctus
46 comprime, et antiquos tua fistula cantet amores.
47 Carpere jam poterunt deserta salicta capellae
48 et cythisum tondere suum. Resipisce, quid obstas,
49 Eline ? Maestitiae non est locus amplius ulli.

ELINUS

50 Ruffe, quid apportas, quidnam mihi dicito, quidnam,
51 quo liceat tantos tandem mollire dolores ?
52 Sed cave ne fingas quicquam mihi, Ruffe, jocando :
53 nota tibi est nostri nam maxima causa doloris.

RUFFUS

54 Quid dubitas fictis me fingere gaudia rebus ?
55 Exstinctum nuper quem flebas, Borgia noster
56 vivit, ab Elysiis hodie tibi redditus oris.
57 Quid miraris et haec miracula ficta putasti ?

ELINUS

58 Heu heu me miserum, renovas quid, Ruffe, dolores ?
59 An licet huic vitae qui concessere relictas
60 aethereas illis iterum remeare sub auras ?
61 Quid me, quid miserum, quid spe sic ludis inani ?
62 Borgia vivit, ais ? Vivit, puto, Borgia fama,
63 vivet et astriferum donec teget omnia caelum.
64 Ast ubi tam claro facies veneranda decore est,
65 illius et radios aequantia lumina solis ?
66 Sunt ubi nectareos redolentia verba liquores ?
67 Est ubi magnanimi tam pectoris ampla facultas ?
68 Est ubi tantus amor, quo se pastoribus ille
69 praebuit et nostras jussit sperare capellas ?
70 Parce, precor, nostros igitur renovare dolores,
71 hasque sinas inter me deperiisse capellas.

RUFFUS

72 Eline, pone tuas lacrimas et crede quod audis :
73 Borgia quem lacrimas vivit, mihi crede, reversus
74 jam fuerat qualis, rutilo decoratus honore ;
75 nam, te ne ulterius videar deludere, sic tu

76 accipe quae dico : frater germanus eosdem
 77 cardineos apices accepit Borgia noster
 78 atque omnes titulos, quos jam germanus habebat.
 79 Borgia sic noster, sic est a morte reversus.

ELINUS

80 O faustam laetamque diem ! Procul omnia verba
 81 tristia et ad tegetes villae redeamus ovantes.
 82 Hinc quoque vos celeres mecum properate, capellae,
 83 nam licet et vobis ad pascua prisca reverti
 84 uberaque assueto melius distendere lacte.
 85 Vos quoque, quae mecum noctesque diesque dolentes
 86 tristitiam sensistis, oves, deponite curas
 87 et refovete novis vestris balatibus agnos ;
 88 fundite laetitiam : vivit nam Borgia noster,
 89 Borgia noster adest, quem flevimus hactenus omnes !
 90 Vos quoque per campos altaria ponite cuncti
 91 undique, pastores, pinguisque ab ovilibus aris
 92 victima quaeque cadat ; non est mora, macto ducentos
 93 ipse agnos, centumque haedos, totidemque juvencos.
 94 Quaeque per undenos siluit maestissima menses
 95 vincat, ut Arcadicos faciam, mea fistula, cantus.

EPOLUS

96 O bene quam factum est ! Cur haec me, Ruffe, rogantem
 97 gaudia celasti ? Scis me quoque non minus esse
 98 Borgiacum, quam quos produxit Borgia proles.
 99 Sed quid cessamus ? Cur hic producimus horas ?
 100 Ad sacra jam tendamus iter ; sit curta supellex
 101 quamquam, Ruffe, mihi, pecoris grex parvus habento
 102 quicquid id est arae, simul haec genialis agatur
 103 et jucunda dies, rediit quia Borgia noster,
 104 Borgia, quo nobis crescent armenta gregesque.

RUFFUS

105 Non mihi sunt ovium fetus, non, Eline, tauros
 106 non vitulas habeo, rapuit nam Gallia nobis
 107 omne pecus, Latios nuper populata penates ;
 108 sunt tamen argenti veteris sestertia centum
 109 et puto sunt nummi fulvae mihi mille monetae :
 110 haec et si qua mihi restant patrimonia cuncta
 111 fundite, Borgiacos atque instauretis honores,
 112 et pastoralem positis per compita mensis
 113 rite vocate chorum. Cressis lux pulchra per agros
 114 est signanda notis, fument altaria. Quid stas,
 115 Eline ? Carpe viam, simul et properanter eamus
 116 hinc omnes ; properant Pyrous, Eous et Aethon
 117 Oceani fines rapido contingere plaustro.

ELINUS

118 Vera ait hic fateor, nimium nam, Ruffe, moramur ;
 119 ocius hac nostras moveamus parte capellas
 120 hosque greges ovium, quae persentire renatos
 121 nec non Borgiacos gestire videntur honores.
 122 Cur non interea, dum sic simul imus, euntes
 123 Borgiacas canimus magnas ex ordine laudes ?

RUFFUS

124 O utinam vox illa mihi, qua dulcia quondam
 125 carmina vincebam cygnorum, et carmina quae jam
 126 remige celato cautus vitavit Ulyxes :

127 Nympharum omne genus cantu superosque moverem !
 128 At, quaecumque mihi sit vox, tamen ecce canamus,
 129 Borgiacasque alacres tollamus ad aethera laudes,
 130 cantando sed tu gere partes, Eline, primas ;
 131 tu sequere, atque tuas serva post, Epole, partes ;
 132 tertius ipse meas depromam pectore voces.
 133 Immo omnes una melius nunc, Ruffe, canamus,
 134 alter et alterius toleremus voce laborem.
 135 Borgiacas laudes resonet latus omne viarum :
 136 Borgia te praeter nil nostro in pectore vivit.
 137 Promptius Oceani magni memorabimus undas,
 138 quam nos voce tuas referamus, Borgia, laudes,
 139 quotque orbis nutrit memorabimus ante capellas
 140 et quot pascuntur per Daunia rura juvenci ;
 141 immo etiam ranas memorabimus ante palustres
 142 et convexa polus citius quot sidera pascit.
 143 Felix quae nobis genuit te, Borgia, tellus,
 144 inter et Hispanas fortunatissima mater.
 145 Pascentes nostrae duce te per aperta capellae
 146 et duce te melius distendent ubera vaccae.
 147 Borgia, vive diu, Tithoni saecula vincens
 148 Nestoreosque dies, Priami quoque vince senectam.
 149 Si tibi nostra canit quae fistula, Borgia, amabis
 150 major erit nobis non Tityrus aut Meliboeus.
 151 Qui te quique tuas non cantat Borgia laudes
 152 carceris obscuris semper lacrimetur in antris.
 153 Ex animo quisquis non est tibi Borgia amicus
 154 illius aspectus fugiatur ut ora colubri.
 155 Ad sacra sed propere, quia sol inclinatur, eamus ;
 156 illic Borgiacos melius referemus honores.

EGLOGA NONA DE DISCESSU MAGNI DUCIS EX NEAPOLI

SABINUS

E_9

v.1 Ergo Laborinis campis silvisque relictis
 2 ad patrium remeate solum rupesque, capellae.
 3 Amplius hac vobis non est regione manendum,
 4 quamvis latus ager, quamvis sint pingua rura,
 5 plusque licet vestro mihi defluat ubere lactis
 6 multiplicetque gregem major fetura quotannis.
 7 I, pecus infelix, modo quod super omnia felix
 8 dicere te poteras ; et tu mea frange cicutas,
 9 fistula, Maenaios, quondam quae vincere cantus
 10 atque Appennini cautes mollire solebas.
 11 Non ego Parthenopes festis de more diebus
 12 moenia jam repetam, non jam castella benigni
 13 celsa ducis visam, quo me conferre solebam,
 14 nunc agnos, nunc parva ferens munuscula lactis,
 15 haedorumve aliquid, semper gratissimus illi :
 16 intranti clausit numquam mihi janitor aulas,
 17 sed semper patuere fores, mox unde revertens
 18 magnarum rerum semper spe plenus abibam.
 19 Ecce reversurus fertur jam classe parata

20 Betica regna petens. Mecum deflete, capellae,
 21 vos etiam miseram sortem, deflete, juvencae,
 22 vosque relicturae laetissima pascua, vaccae !

PARTHENOPEUS

23 Audio pastorem, nisi decipit aura, Sabinum
 24 et de sorte sua secum nunc multa querentem :
 25 unde sit haec socii visum libet ire querela.
 26 Quae mala persequitur nunc te fortuna, Sabine ?
 27 Qui casus, vel quae te sors diversa fatigat ?
 28 Audio te nostra nam de regione capellas
 29 cogere jamdudum patriaeque parare regressum.
 30 Quis loca, quis sedem, quis te mutare coegit
 31 pascua planitiae numquam cessura Latinae ?
 32 Talia quae colimus non irrigat arva Galesus,
 33 nec Parmense solum fert talia vellera lanae,
 34 non Calabri fines, non Appula rura, nec usquam
 35 ulla salutiferi tanta est clementia caeli.
 36 Cur pecus, infelix, ad frigora saeva reducis,
 37 Aprutiasque nives et saxa aequantia caelum ?
 38 Hac potius, si recta sapis, regione manendum est :
 39 nam quos bellorum campos vexabat Erynnis
 40 jam reficit tranquilla quies, jam pastor ubique
 41 securumque pecus sub qualibet arbore somnos
 42 ducit, et intrepidae pascunt armenta gregesque.

SABINUS

43 O care ante alios mihi Parthenopaeae sodales,
 44 hae sine quas audis non sunt ratione querelae,
 45 immo etiam certe penetrasse ad sidera voces
 46 arbitror has nostras. Numquid quod fama per omnes
 47 nuntiat ignoras ? Discessum classe parata
 48 moliri et regni penitus dare vela relictis
 49 nuntiat illa ducem structo jam remige nostrum.
 50 Quo sine quid faciam miser in regionibus istis,
 51 unde meis tantum miseris venit aura capellis ?
 52 Quo sine quis nobis defendet pascua, quisve
 53 raptores mandris ovium prohibebit iniquos ?
 54 Huc omnes fures hoc deficiente recurrent,
 55 aut omnes subito velut in sua jura latrones,
 56 forsitan et vestros inter discordia cives.
 57 Mens erat hos vitam reliquam finire per agros
 58 atque Laborina cineres occludere terra :
 59 hoc duce Parthenopes nam dulcia regna tenente
 60 nil erit his terris quod, Parthenopaeae, pavescas.
 61 Hic abeat sed si, dic, quidnam cernere tutum,
 62 dic, quid securum vel, Parthenopaeae, quietum
 63 esse potest ? Hominum scis pectora plena tumoris.
 64 Quam varium studium vulgi et diversa voluntas !
 65 Ergo hinc cedendum mihi, Parthenopaeae, putavi,
 66 ante superveniat mihi quam fortuna malorum,
 67 et reliquum vitae, si quid mihi restat agendum,
 68 celsa per Aprutii perque aspera saxa nivesque
 69 degere fert animus. Tuque hinc, si forsitan ire
 70 ipse voles etiam, poteris magalia mecum
 71 et patrias habitare casas mecumque morari
 72 tutius eventus rerum casusque futuros.

PARTHENOPEUS

73 Est tibi mens certe nimium praesaga malorum.
 74 Certa recessuri non est, mihi crede, Sabine,
 75 fama ducis magni, tamen hunc velut ora loquuntur
 76 pone recessurum. Numquid non dicit eundem
 77 fama reversurum ? Non it mansurus Iberis
 78 ille diu, partos nam volt rex ille triumphos
 79 noscere Parthenopes et retractare cohortes
 80 militibusque suis meritum cujusque laboris
 81 reddere, et imperii puto vult disponere partes
 82 ad ducis arbitrium nostri, qui regna redemit
 83 Marte suo solus. Non est celeberrima regis
 84 Catholici tam parva fides : quisnam aptior alter
 85 haec pro rege suo sustentat stemmata, quisnam
 86 continet hoc melius gentes temone sub uno ?
 87 Gentibus hic merito colitur, veneratur, amatur
 88 proque sui cunctis animi virtute timetur.
 89 Et mores hominum novit, populique recenset
 90 nomina quaeque sui : non est prudentia, non est
 91 consilium regni placidam turbare quietem.
 92 Quare, age, siste pecus, nec te mutata, Sabine,
 93 terra juvet, non est melior sub sidere campus,
 94 est ubi, crede, mori melius quam ducere vitam
 95 Nestoreos orbis quavis sub parte per annos.

SABINUS

96 Si fore non dubitem mihi, Parthenopaeae, quod inquis,
 97 hoc ego non ausim caelum mutare nec auras.
 98 Sed quis, quaeso, potest cognoscere fata futuri
 99 temporis, aut tanti quis novit pectora regis ?
 100 Quis scit an extremos dux hic mittatur ad Indos,
 101 aut hic infidos si dimittatur ad Afros,
 102 extremas vel si Morinum mittatur ad oras ?
 103 Catholicus rex magnus avet submittere gentes
 104 cunctas, quae Christi sunt ad vexilla rebelles,
 105 majoresque duces hoc non habet ordine toto.
 106 Immo cupit quoties ad magna incepta cohortes
 107 mittere, posthabitis aliis jubet ardua magnum
 108 ducere castra ducem. Gemino mihi scinditur hamo
 109 cor dubium : maneam, vel, Parthenopaeae, recedam ?

PARTHENOPEUS

110 Siste pecus, mihi crede, tuum dicam altera rerum
 111 argumenta tibi. Sit quam speciosa nitensque
 112 Parthenope, scis ipse puto ; quam pulchra decensque
 113 et quam conspicui vultus, quam candida, quamque
 114 splendida, quam dulcis, nulli quam corpore par sit :
 115 non feret absentes hujus dux magnus amores,
 116 pro quam pugnando toties per saeva laborum
 117 vidit pene Jovis pallentia regna profundi.
 118 Rivalem sufferre potest scis nullus amator :
 119 vixerit hic magna semper formidine plenus
 120 ne redeant illi, quorum de faucibus illam
 121 strenuus eripuit, magnoque recepit ab hoste.
 122 Quid quod id antiqua praedixit ab arbore cornix,
 123 atque aliae volucres mihi jam cecinere sinistrae ?
 124 Scis ego quam augurii sim pastor in arte peritus :
 125 vana futurorum mihi non sunt ora, Sabine.

126 Haec ego si nobis sic non fore forte vererer,
 127 me comitem incepti sociumque doloris haberes.

SABINUS

128 Verborum tua magna fides artisque vetustas
 129 propositum atque animum sic mutavere labantem,
 130 consilium quod das ut, Parthenopaeae, sequamur,
 131 utque Laborinos qua vis jam parte per agros
 132 vivere proponam. Sed si dux noster abibit
 133 vivamus pariter nos, Parthenopaeae, dolentes
 134 alter et alterius solantes carmine mentem.

PARTHENOPEUS

135 Immo etiam mecum potes hanc deducere noctem :
 136 de duce nam magno possum majora referre.
 137 Claude pecus stabulis, properat nam Vesper, eamus !
 138 Non deerunt Cereris niveae, non munera Bacchi,
 139 illa nec leporis, crassi nec cenula porci.

